

summotus longius a collibus erit amnis et editior ipse situs permittet superponere villam profluenti, cavendum erit, ut¹ a tergo potius quam prae se flumen habeat, et frons aedificii sit adversa auris, quae vaporatas ex aqua nebulas dispellant.

(COLUM. ET PLIN.)

Quomodo arandum.

1191. Pingues campi, qui diutius continent aquam, proscindendi sunt anni tempore jam incalcescente, cum omnes herbas ediderint, neque adhuc earum semina maturuerint. Tam frequentibus sulcis arandi sunt, ut vix dignoscatur in utram partem vomer actus sit; quoniam sic omnes radices herbarum perruptae necantur.

1192. Sed compluribus iterationibus sic resolvatur in pulverem² vervactum oportet, ut vel nullam vel exiguam desideret occationem, cum seminaverimus. Nam veteres Romani dixerunt male subactum esse agrum, qui, satis frugibus³, occandus sit. Is ut exploretur an recte aratus sit, pertica transversis sulcis inseritur; ea si aequaliter ac sine offensione penetrat, totum solum deinceps motum est; sin⁴ subeunti durior aliqua pars obsistit, crudum vervactum esse demonstrat.

1193. Quandoque arabitur, observabimus, ne lutosus ager tractetur sive exiguis nimbis semimadidus, quam terram rustici cariosam appellant: ea est quum post longas siccitates levis pluvia superiorem partem glebarum madefecit, inferiorem non attigit. Nam quae limosa versantur arva, non sunt habilia sementi aut occationi aut sarritioni. At rursus quae cariosa subacta sunt, continuo triennio sterilitate afficiuntur. Medium igitur temperamentum maxime sequamur in⁵ arandis agris, ut neque succo careant nec abundant uligine. (COLUM.)

Domitura buculi.

1194. Cum buculos laqueis ad cornua capulaveris, perducito ad stabulum et ad stipites religato ita, ut exiguum laxa-

¹ Vide n. 348, b. ² Vide n. 178, c. ³ Vide n. 379, b. ⁴ Vide n. 365.

⁵ Vide n. 128, e.

menti habeant distentque inter se aliquanto spatio, ne in colluctatione alter alteri noceat. Si nimis asperi erunt, patere unum diem¹ desaevant. Simul atque iras contuderint, mane producantur et sit, qui eos a tergo retinaculis contineat et armatus clava saligna modicis ictibus subinde impetus eorum coërceat: tum docebis per mille passuum composite ambulare.

1195. Ad alligatos jam buculos accedes placide et nares perfricabis, ut hominem discant odorari. Mox etiam convenit tergora tractare et respergere mero, quo buculi familiares fiant bubulco: idque cum fit, a latere domitor stare debet, ne² calce contingi possit. Post diductis malis educito linguam totumque palatum sale defricato, libralesque offas tinctas adipis liquamine in gulam demittito; nam per haec blandimenta triduo fere mansuescunt jugumque quarto die accipiunt.

1196. Sic perdomiti ad aratrum instituuntur in subacto agro, ne statim difficultatem operis reformident neve adhuc tenera colla terrae proscissione contendant. Si aderit veteranum pecus, expeditior ratio domandi est. Nam ubi plostro juvencum consuescimus, ex domitis bubus valentissimum eundemque placidissimum cum indomito jungimus; is et procurrentem retrahit et cunctantem producit et prosilientem inhibet et decumbere conantem sublevat.

1197. Qui post domituram in sulco decumbit, eum non saevitia, ne pervicax fiat, sed ratione censeo emendandum³. Fame et siti cubitorem bovem castigabis; nam eum vehementius afficiunt naturalia desideria quam plagae. Itaque si bos decubuit, utile est pedes ejus sic vinculis obligari, ne aut insistere aut progredi aut pasci possit: quo facto inedia et siti compulsus deponit ignaviam. (COLUM.)

Moritur uxor Darii.

1198. Iter facienti⁴ Alexandro unus e captivis, qui Darii uxorem comitabantur, deficere eam nuntiat et vix spiritum ducere. Itineris labore animique aegritudine fatigata inter

¹ Vide n. 283, b. ² Vide n. 353, a. ³ Vide n. 339, a. ⁴ Vide n. 375, a.

virginum filiarum manus collapsa erat, deinde exstincta. Rex haud secus quam si parentis suae mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus, lacrymisque obortis, quales Darius profudisset, in tabernaculum venit, ubi erat corpus reginae. Hic vero renovatus est moeror, ut prostratam humi vidit. Crederes Alexandrum inter suos necessarios flere: cibo certe abstinuit omnemque funeri honorem Persarum more servavit.

1199. Interea e captivis, qui circa reginam erant, Tyriotes elapsus venit in regium tabernaculum; quem ut conspexit Darius: «Vultus, inquit, tuus nescio quod ingens malum praefert. Cave miseri hominis auribus parcas. Numquid, quod loqui timeo, ludibria meorum nuntiaturus es mihi?» Ad haec Tyriotes: «Istud quidem procul abest, inquit: quantus reginis honos haberi potest, tuis a victore servatus est; sed uxor tua paulo ante excessit e vita.» Tum vero non dubitavit Darius, quin interfecta esset, quia nequivisset¹ contumeliam pati.

1200. Tyriotes affirmare² per deos patrios nihil in eam gravius esse consultum; ingemuisse etiam Alexandrum morti et non parcius flevisse, quam ipse lacrymaretur; quaestioni corpus offerre, deos testes invocare caste sancteque habitam esse reginam. Tandem, ut fides facta est, rex capite velato diu flevit; manantibusque adhuc lacrymis ad coelum manus tetendit et «Dii patrii, inquit, si de me jam transactum est regnum, ne alius Asiae rex sit quam iste tam justus hostis, tam misericors victor.» (CURT.)

Descriptio Babylonis.

1201. Babylonem Semiramis condidit vel, ut alii credere, Belus; cujus regia ostenditur. Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus ea³ crassitudine est, ut supra eum quadrigae commeari atque inter se occurrere sine periculo dicantur. Altitudo muri centum cubitorum; turrets denis pedibus⁴ quam murus altiores. Totius operis ambitus tercentum sexaginta octo stadia complectitur. Aedificia non sunt admota

¹ Vide n. 358, c. ² Vide n. 314, a. ³ Vide n. 387. ⁴ Vide n. 243, b.

muris, sed fere spatium unius jugeri absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt, nec omnia contigua sunt.

1202. Per nonaginta stadia habitatur; cetera serunt¹; ut, si vis extrema ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. Euphrates interfuit magnaetque molis crepidinibus coërcetur: quae opera cavernae depressae circumveniunt ad excipiendum impetum fluminis, quod, ubi crepidinis fastigium excessit, urbis tecta corripere, nisi essent specus lacusque, qui exciperent. Urbem jungit pons lapideus opere mirabili; quippe in alto limo, quem Euphrates vehit, vix reperire fuit solum fulciendae² moli.

1203. Super arce pensiles horti sunt, multarum arborum umbra amoeni. Saxae pilae totum onus sustinent, super quas lapide quadrato solum stratum est patiens terrae, quam altam injiciunt, et humoris, quo rigant terras: adeoque validas arborum sustinent moles, ut stipites earum sint crassi octo cubitos³ inque pedes quinquaginta emineant et frugiferae aequae sint, ac si terra sua alerentur. Syriae regem hoc opus esse molitum memoriae proditum est, amore conjugis victum, quae desiderio nemorum virum compulit naturae genium imitari. (CURT.)

Periculum lembi in amne.

1204. Alexander navigio circumvectus est arcem⁴ Sobiorum: quippe tria flumina Indiae praeter Gangem maxima munimento arcis applicant undas. A septentrione Indus alluit, a meridie Acesines Hydaspi confunditur. Ceterum amnium coitus maritimis similes fluctus movet, multoque limo iter, qua meant navigia, in tenuem alveum cogitur. Itaque cum crebri fluctus se inveherent et navium hinc proras, hinc latera pulsarent, subducere nautae coeperunt. Sed ministeria eorum hinc metu, hinc praerapida celeritate fluminum occupantur.

1205. In oculis omnium duo majora navigia submersa sunt; leviora, quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen

¹ Vide n. 298, b. ² Vide n. 355, c. ³ Vide n. 288, b. ⁴ Vide n. 248, c.

innoxia expulsa sunt. Inde rex in rapidissimos vortices incidit, quibus intorta navis obliqua et gubernaculi impatiens agebatur. Jam vestem detraxerat corpori projecturus¹ semet in flumen, amicique, ut exciperent eum, haud procul nabant, apparebatque anceps periculum tam nataturi quam navigare perseverantis.

1206. Ergo ingenti certamine concitant remos, quantaque vis humana esse poterat, admota est, ut fluctus, qui se invehebant, everberarentur. Findi crederes undas et retro gurgites cedere; quibus tandem navis erepta non ripae applicatur, sed in proximum vadum, salvo rege, illiditur. (CURT.)

Descriptio duelli.

1207. Intererat regio epulo Dioxippus Atheniensis, pugil nobilis, et Horratas Macedo, qui jam temulentus exprobrare Dioxippo coepit et postulare ut, si vir esset, secum² postridie ferro decerneret: regem de virtute iudicaturum. A Dioxippo militarem contemne ferociam accepta conditio est. Postero die rex, quia exposcentes deterrere non poterat, destinata exsequi passus est.

1208. Ingens Graecorum militum, qui Dioxippo studebant, convenerat multitudo. Macedo justa arma sumpserat: aereo clypeo hastaque laevam armaverat, lancea dextram, gladio etiam latus cinxerat velut cum pluribus simul dimicaturus. Dioxippus oleo nitens ac serto redimitus laeva Puniceum amiculum, dextra nodosum stipitem praeferebat. Ea ipsa res omnium animos exspectatione suspenderat: quippe armato congregari nudum dementia, non temeritas videbatur.

1209. Igitur Macedo haud dubius interfici adversarium eminus posse, lancea memisit; quam Dioxippus quum vitasset corporis declinatione, in dextram assiluit et stipite mediam hastam fregit. Amisso utroque telo, Macedo gladium coeperat stringere, sed Dioxippus hominem complexu occupans arietavit

¹ Vide n. 354, a.

² Vide n. 76, a.

in terram; ereptoque gladio pedem super cervicem jacentis imposuit, elisurus stipite adversarium, ni prohibitus esset a rege. (CURT.)

Caesar renuit pugnare.

1210. Erat occasio bene gerendae¹ rei, neque Caesarem fugiebat perterritos hostes impetum suorum sustinere non posse, praesertim circumdatos equitatu, cum in loco aequo et aperto confligeretur. Concurrerant centuriones tribunisque militum: ne dubitaret proelium committere; omnium esse militum paratissimos animos. Afranianos contra multis rebus sui timoris signa dedisse: quod suis non subvenissent; quod de colle non decederent; vix quod equitum incursus sustinerent.

1211. Caesar in eam spem venerat se² sine pugna et sine vulnere suorum rem conficere posse; quod re frumentaria adversarios interclusisset. Cur, etiam secundo proelio, aliquos ex suis amitteret?³ Cur vulnerari pateretur optime meritis de se cives? Cur denique fortunam periclitaretur, praesertim cum non minus esset imperatoris, consilio superare quam gladio?

1212. Hoc consilium Caesaris a plerisque non probabatur. Milites vero palam inter se loquebantur: quoniam talis occasio victoriae dimitteretur, etiam, cum vellet Caesar, se² non esse pugnuros. Ille in sua sententia perseverat; ac postero die duces adversariorum perturbati, quod omnem rei frumentariae spem amiserant, de reliquis rebus consultare coeperunt.

(CAES.)

Sumptus Caligulae.

1213. Caligula nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit. Commentus est novum balinearum usum, ubi calidis frigidisque unguentis lavaretur. Invenit incredibile genus coenarum, in quibus margaritas aceto liquefactas sorberet et convivis obsonia ex auro apponeret. Fabricavit deceres Liburnias, gemmatis puppibus⁴, versicoloribus velis amplisque

¹ Vide n. 127, b.

² Vide n. 75, a.

³ Vide n. 256, f.

⁴ Vide n. 33, b.

tricliniis, quibus¹ discumbens inter choros ac symphonias lit-
tora Campaniae peragraret.

1214. In exstructionibus villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. Jactae itaque moles infesto mari, et excissae rupes durissimi silicis², et campi montibus aequati inductis aggeribus, et complanata fossuris montium juga incredibili celeritate, quum morae culpa capite lueretur. Ac ne singula enumerem, patrimonium Tiberii anno vertente absumpsit.

1215. Exhaustus igitur atque egens ad rapinas convertit animum vario calumniarum et auctionum genere. Negabat jure civitatem Romanam usurpare eos, qui a majoribus accepissent; testamenta primipilariū, qui se³ heredem non reliquissent, ut ingrata rescidit. Quo metu injecto cum jam ab ignotis inter familiares palam heres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent, et multis venenatas mactas misit. (Suet.)

Hannibal deludit Romanos.

1216. Quum Romani aequiori loco substitissent, successit Hannibal ad lacessendum hostem. Sed ejus agmen includi visum est, via ad Cassilium obsessa. Nam cum Romanis Capua commeatus facile subveheret, Poenus inter Formiana saxa stagnaque horrida situ hibernaturus erat. Quare Hannibal, quem non fefellit suis se artibus peti, furtim evadere paravit, ludibrium oculorum commentus specie terribile.

1217. Principio enim noctis, necubi Romanus inclusum vallibus Poenorum agmen aggredereatur, fallax consilium capit hujusmodi. Faces undique ex agris collectas fascisque sarmentorum praeligari jubet cornibus boum, quos domitos indomitosque ad⁴ duo ferme millia inter agrestem praedam agebat. Hasdrubali negotium dat, ut primis tenebris id armentum, accensis cornibus, ad montes agat; maxime, si posset, super

¹ Vide n. 352, a. ² Vide n. 222, b. ³ Vide n. 77, b. ⁴ Vide n. 163, b.

saltus ab hoste insessos. Post solis occasum silentio mota castra, bovesque ante signa acti.

1218. Ubi ad radices montium viasque angustas ventum est, signum extemplo datur, ut, accensis cornibus, armenta in adversos concitentur montes. Et metus ipse relucens flammæ ex capite et calor jam ad ima cornuum¹ descendens velut stimulos furore agebat juvencos. Quorum discursu, haud secus quam silvis accensis, omnia circum virgulta micare; capitumque irrita quassatio hominum passim discurrentium speciem praeberet.

1219. Qui ad transitum saltus obsidendum locati erant, ubi ignes super se conspexerunt, circumventos se esse rati, praesidio excessere, qua minime densae micabant flammæ. Atque ut humana apparuit fraus, insidias rati concitant se in fugam. Interea toto agmine Hannibal transducto per saltum et quibusdam in ipso saltu hostium oppressis, in agro Allifano incolumis castra posuit. (LIV.)

Occiditur filia Hieronis cum neptibus.

1220. Andranodoro Themistoque, quod tyrannidem affectarant, occisis, ne uxoribus quidem eorum parsum est. Ortus undique clamor nullam stirpem regum superesse oportere. Haec natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur.

1221. Heraclea erat filia Hieronis, quae, cum ad se² quoque venire sicarios praescisset, in sacrarium ad Penates confugit cum duabus filiabus virginibus. Hic effusa in preces orare³, ne se innoxiam invidia generis conflagrare sinerent. Nihil se ex regno praeter exsilium viri habere⁴. Quod cuiquam periculum ab se vidua puellis in orbitate degentibus? Quodsi invisum genus est, ablegarent se procul asportarique Alexandriam juberent.

1222. Tum, omissis pro se precibus, puellis ut saltem parcerent orare institit, a qua aetate etiam hostes iratos abstinere⁴,

¹ Vide n. 35, b. ² Vide n. 76, a. ³ Vide n. 314, a. ⁴ Vide n. 314, b.

ne tyrannos ulciscendo, quae odissent scelera, imitarentur. Inter haec abstractam¹ e penetralibus jugulant. In virgines deinde respersas materno cruore impetum faciunt. Quae, alienata mente, simul luctu metuque se eo cursu ex sacrario proripuerunt, ut, si effugium patuisset in publicum, impleturae urbem tumultu fuerint.

1223. Tum quoque haud procul aedibus ex armatorum manibus salvae aliquoties evaserunt: tandem vulneribus confectae, quum omnia replessent sanguine, exanimis corruerunt. Caedem per se miserabilem miserabiliorem casus fecit; quod paulo post nuntius venit, mutatis repente ad misericordiam animis, ne interficerentur. (LIV.)

Convivium litteratum.

1224. Adolescens ex Asia de equestri loco, laetae indolis, coenam dabat amicis in rusculo celebrandae² lucis annuae. Venerat nobiscum ad eam coenam Julianus rhetor, florentis homo facundiae veterumque peritus litterarum. Is, ubi coenandi finis factus est, cupivit exhiberi, quos habebat scitissimos, pueros, qui³ canerent.

1225. Posteaquam introducti pueri puellaeque, Anacreontica et Sapphica recentium poëtarum cecinerunt; Graeci complures, qui in convivio intererant, homines amoeni et nostras litteras⁴ haud indocti, Julianum lacessere adorti sunt tamquam barbarum prorsus et agrestem, qui ortus Hispania foret et linguam doceret voluptatis expertem.

1226. Tunc ille, pro lingua patria tamquam pro aris et focis indignabundus, cedere, inquit, vobis debui, ut in cantilenis anteiretis sicut in voluptatibus cultus atque victus; sed ne nomen Latinum condemnetis, permittite mihi, quaeso, operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse ajunt. Tum resupinus capite⁵ convelatus, voce perquam

¹ Vide n. 379, a. ² Vide n. 355, b. ³ Vide n. 352, a. ⁴ Vide n. 123.

⁵ Vide n. 234.

suavi versus cecinit Valerii, veteris poëtae, quibus venustius, limatius, pressius nihil vel Graecum vel Latinum reperiri arbitror posse. (GELL.)

Cerva Sertorii.

1227. Sertorius, acri vir ingenio et peritus regendi¹ exercitus, ad milites mentiebatur in temporibus difficillimis, si mendacium profuturum esset. Litteras compositas pro veris recitabat, somnia simulabat et falsas religiones objiciebat, siquid eum istae nugae apud militem adjuverent.

1228. Illud adeo Sertorii nobile est: Cum cerva eximia pulchritudinis et vivacissimae celeritatis ei a quodam Lusitano dono² data esset, eam Sertorius oblatam sibi divinitus et instinctam Dianae numine persuadere militibus instituit. Ac siquid durius imperandum militibus foret, a cerva sese monitum praedicabat. Id cum dixerat, universi tamquam deo libentes parebant.

1229. Cerva adventu hostium quondam territa fugit atque in palude proxima delituit. Neque multis post diebus, cum periisse credita esset³, inventa Sertorio nuntiatur. Tum eum, qui nuntiaverat, jussit tacere cervamque postero die in eum locum, ubi ipse cum amicis sederet, repente immittere.

1230. Itaque, admissis postridie amicis, visam sibi ait in quiete cervam, quae perierat, ad se reverti et, ut prius consueverat, quod opus esset facto, praedicare. Emissa igitur cerva, cum in Sertorii cubiculum introrupisset, clamor omnium factus et orta admiratio est. Quae barbarorum credulitas Sertorio in dubiis rebus magno usui fuit. (GELL.)

Mensura agri.

1231. Agri quadrati mensura facillima est; nam, cum sit undique pedum totidem, multiplicantur in se duo latera et, quae summa ex multiplicatione effecta est, eam esse dicemus quadratorum pedum. Si locus erit quoquo versus centum pedum, du-

¹ Vide n. 128, c.

² Vide n. 229, a.

³ Vide n. 316.

cemus centies centenos, et fient decem millia; quos pedes quadratos dicitur habere locus¹ ille seu jugeri trientem et sextulam.

1232. At si longior fuerit quam latior², ut exempli causa jugeri forma pedes habeat longitudinis ducentos quadraginta, latitudinis centum viginti; latitudinis pedes cum longitudinis sic multiplicabis: centies vices ducenti quadragenari fiunt viginti octo millia et octingenti. Sin autem cuneatus ager fuerit, ut puta longus pedes centum, latus ex una parte pedes viginti, ex altera decem, tunc utraque latitudo composita efficiet pedes triginta; hujus pars dimidia est quindecim, quam cum longitudine multiplicando efficiet pedes mille et quingentos. Hos igitur in eo cuneo quadratos pedes esse dicemus, quae pars erit jugeri semuncia et scripula tria. (COLUM.)

De messe.

1233. Messis proprio nomine dicitur in iis, quae metuntur, maxime in frumento. Tria genera sunt messionis; unum, ut in Umbria, ubi falce secundum terram succidunt³ stramentum et manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra. Ubi eos fecerunt multos, iterum percensent ac de singulis secant inter spicas et stramentum: spicas conjiciunt in corbem atque in arcam mittunt; stramentum relinquunt in segete, unde tollantur in acervum.

1234. Altero modo metunt ut in Piceno, ubi ligneum habent batillum, in quo sit extremo serrula ferrea: haec, cum comprehendit fascem spicarum, desecat et stramenta stantia in segete relinquit, ut postea subsecentur. Tertio modo metitur, ut sub urbe Roma et locis plerisque, ut stramentum medium subsecent, quod manu sinistra summumprehendunt. (VARRO.)

De olea.

1235. Oleam, quam manu tangere possis e terra aut scalis, legere oportet potius quam quaterere; quod ea, quae

¹ Vide n. 315, c.

² Vide n. 56.

³ Vide n. 298, b.

vapulavit, macescit nec dat tantum olei. Melior, quae digitis nudis legitur quam quae digitalibus: durities enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit. Quae manu tangi non poterunt, ita quati debent, ut arundine potius quam pertica feriantur; gravior enim plaga medicum quaerit. Olea ut uva per idem bivium redit in villam: alia ad cibum eligitur; alia, ut eliquescat; ac non solum intus corpus unguat, sed etiam extrinsecus; itaque dominum et in balneas et in gymnasium sequitur.

1236. Haec, de qua fit oleum, congeri solet acervatim per dies singulos in tabulata, uti ibi mediocriter fracescat ac primus quisque acervus demittatur per vasa olearia in trapetas, seu molas. Amurcae utilitatem quod ignorant multi, videas¹ eam e torculis fluere in agros, quos non solum denigrat, sed etiam steriles facit. Amurca cum ad multas res tum ad agriculturam pertinet, quod circum arborum radices infundi solet et ubicumque agro herba nocet. (VARR.)

Alexander veneno exstinguitur.

1237. Revertenti² Alexandro Babylonem Chaldaei vates occurrerunt, monentes, ne Babylonem ingrederetur; perfectionem enim ejus per id tempus vitae periculum ei portendere. Quibus spretis, quo destinaverat, ire pergit; nuntiabatur enim ei legatos undique Babylonem confluisse ejusque adventum exspectare. Adeo totum orbem nominis ejus terror invaserat, ut cunctae gentes velut destinato regi adularentur.

1238. Igitur tamquam conventum universi orbis acturus Babylonem pervenire festinabat. Quo cum venisset, legatos omnes benigne acceptos domum³ remisit. Iisdem diebus convivium apud Thessalum institutum est, ad quod rex quoque vocatus venit. Ibi nondum Herculis scypho epoto, repente velut telo confixus ingemuit elatusque est e convivio semianimis. Causam morbi intemperiem ebrietatis aliqui divulgant;

¹ Vide n. 256 f.

² Vide n. 375, a.

³ Vide n. 278, c.

re tamen vera insidiis occubuit Antipatri, qui, rebus in Graecia gestis, non se e Macedonia ad societatem militiae, sed ad poenam evocatum querebatur.

1239. Is ad occupandum regem subornat filium suum, qui cum Philippo et Jolla ministrare regi solebat. Igitur filius Antipatris, praegustare potum solitus, venenum, praegustato poculo, infudit. Decessit Alexander annos natus tres et triginta, vir supra humanam potentiam magnitudine animi praeditus. (CURT.)

Clementia Caesaris.

1240. Caesar duodevicesimum egressus annum jam pugiones in sinu amicorum absconderat, jam latus consulis petierat, jam fuerat collega proscriptionis; sed quum annum quadragessimum excessisset, ad clementiam se convertit. Nam cum in Gallia moraretur, delatum ad se¹ est L. Cinna, stolidi ingenii virum, sibi insidias struere. Unus e consciis docuit, ubi et quando et quemadmodum aggredi Cinna imperatorem constituisset.

1241. Nox Caesari inquieta fuit cogitanti fore damnandum adolescentem nobilem, Cn. Pompeji nepotem. Jam unum hominem occidere non audebat, qui M. Antonio edictum proscriptionis inter coenam dictaverat. Quid ergo, inquit, non dabit poenas, qui non solum occidere me constituit, functum² tot navalibus pedestribusque proeliis, sed etiam parat immolare, postquam meis victoriis pacem orbi terrarum peperit? Enimvero sacrificantem placuerat adoriri. Rursus silentio interposito, colloqui secum perguit: quid vivis, si perire te tam multorum interest? Num tanti³ est tua salus, ut tam multa perdenda sint, ne tu pereas?

1242. Interpellavit tandem illum Livia uxor et: admittis, inquit, muliebri consilium? Fac, quod medici solent; qui, ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profecisti; tenta jam, quomodo tibi cedat clementia

¹ Vide n. 77, b.

² Vide n. 307.

³ Vide n. 225, a.

Ignosce L. Cinnae; deprehensus est; jam nocere tibi non potest. Uxori gratias agit et Cinna ad se accersit; dimissisque arbitris e cubiculo, quum alteram Cinnae poni cathedram jussisset: hoc, inquit, primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio sermone meo proclames; dabitur tibi loquendi liberum tempus.

1243. Ego te, Cinna, cum in hostium castris invenissem factum mihi inimicum, servavi omneque tibi patrimonium concessi. Hodie tam felix es, ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi dedi petenti, praeteritis iis, quorum parentes mecum militaverunt. Quum sic de te meruerim, occidere me constituisti. Quum ad hanc vocem exclamasset procul hanc ab se¹ abesse dementia: non praestas, inquit, fidem, Cinna; convenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras.

1244. Adjecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum, cui commissum esset ferrum. Et quum defixum videret nec jam ex conventionem, sed ex conscientia tacentem: quo, inquit, hoc animo facis? Ut ipse sis princeps? male, mehercule, cum populo Romano agitur, si tibi ad imperandum nihil praeter me obstat.

1245. Amplius duas horas loquutum esse constat. Quumque hanc poenam, qua contentus sola futurus erat, extendisset: vitam, inquit, Cinna, tibi iterum do, prius hosti, nunc insidiatori et parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat; contendamus, utrum ego meliore fide vitam tibi dederim an tu debeas. (SEN.)

A multis teritur tempus.

1246. Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia concinnat et diem in lamellis consumit? qui in ceromate spectator puerorum rixantium sedet? qui athletas pascit? Illos tu otiosos vocas, quibus apud tonsorem horae abeunt, dum de singulis capillis in consilium itur²; dum disjecta coma restituitur aut decerpitur, quod proxima nocte succrevit? Qui irascuntur,

¹ Vide n. 76, a.

² Vide n. 249, a.

si tonsor paulo negligentior fuit, qui excandescunt, si quid ex juba decisum est aut extra ordinem jacuit. Nonne ii malunt rempublicam turbari quam comam suam? Hos tu otiosos vocas inter pectinem et speculum occupatos?

1247. Quid illi, qui in audiendis dicendisque canticis operati sunt? qui, cum ad res serias adhibiti sunt, aliquam cantilenam susurrant? Non habent isti otium, sed iners negotium. Convivia, mehercule, horum non posuerim¹ inter vacantia tempora, quum videam, quam solliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum tunicas succingant, quam anxii sint, quomodo aper a coquo exeat, ut signo dato glabri ad ministeria discurrant, quanta arte scindantur aves in frusta.

1248. Ne illos quidem inter otiosos numeraveris, qui se lectica huc et illuc ferunt, quos, quando lavari debeant, quando natare, quando coenare, alius admonet et usque eo inertia solvuntur, ut per se scire nequeant, an esuriant. Audio quendam ex delicatis, cum ex balneo inter manus elatus in sella positus esset, interrogasse: jamne sedeo? Hunc tu ignorantem, an sedeat putas scire, an vivat, an videat, an otiosus sit? Non est hic otiosus: aliud nomen imponas; aeger est; imo mortuus est. (SEN.)

Massinissa, victo Syphace, venenum dat Sophonisbae, sibi recens nuptae.

1249. Syphacem regem in castra adduci quum esset nuntiatum, omnis, velut ad spectaculum triumphi, multitudo effusa est. Praecedebat ipse vinctus; sequebatur grex nobilium Numidarum. Rex in praetorium ad Scipionem est perductus. Movit Scipionem quum fortuna pristina viri praesenti fortunae collata tum recordatio hospitii dextraeque datae. Eadem haec et Syphaci animum dederunt in alloquendo victore; nam, quum Scipio, quid sibi voluisset, quaereret, qui² non societatem solum abnuisset Romanam, sed ultro bellum intulisset; tum ille:

¹ Vide n. 256, b.

² Vide n. 373.

1250. Peccasse quidem se atque insanisse fatebatur, non tum demum, quum arma adversus Romanos cepisset, sed quum Carthaginiensem matronam domum recepisset. Illis nuptialibus facibus regiam conflagrasse suam; illam furiam omnibus delenimentis animum suum alienasse nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit.

1251. Perdito tamen atque afficto sibi hoc solatii¹ esse², quod in Massinissae domum, sibi³ omnium inimicissimi, transiisse illam furiam videat. Neque prudentiorem Massinissam quam se³ esse, sed juventa incautiorem. Haec quum diceret non solum hostili odio, sed etiam stimulis amoris agitatus, quod Sophonisbam videret ab aemulo amari, non mediocri cura Scipionis animum pepulit. Et fidem criminibus faciebat tam praeceps festinatio, ut, quo die captam hostem vidisset Massinissa, eodem in matrimonium acciperet et ad Penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. Haec Scipioni secum volutanti Laelius ac Massinissa supervenerunt, quos quum pariter ambo et benigno vultu excepisset et egregiis laudibus frequenti praetorio celebrasset, abductum in secretum Massinissam sic alloquitur:

1252. «Aliquas te existimo, Massinissa, intuentem in me virtutes venisse ad jungendam mecum amicitiam. Atqui nulla earum virtus est, propter quas appetendus tibi visus sim, qua ego aequae atque temperantiae et continentiae libidinum gloriatum fuerim. Hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes adjecisse velim.

1253. «Non est, mihi crede, tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculum, quantum ab circumfuis undique voluptatibus. Qui eas sua temperantia frenavit⁴ ac domuit, multo majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quam nos, Syphace victo, habemus.

1254. «Quae, me absente, strenue ac fortiter fecisti, libenter et commemoravi et meministi; cetera te ipsum reputare tecum malo quam, me dicente, erubescere.

¹ Vide n. 62.

² Vide n. 314, a.

³ Vide n. 76, a.

⁴ Vide n. 267.

1255. «Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est. Itaque ipse, conjux, regnum, ager, oppida, homines, qui incolunt, quidquid denique Syphacis fuit, praeda populi Romani est: et regem conjugemque ejus, etiamsi non civis Carthaginiensis esset, etiamsi non patrem ejus Asdrubalem imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus populi Romani de ea femina iudicium atque arbitrium esse, quae¹ regem nobis socium alienasse atque in arma egisse praecipitem dicatur. Vince animum. Cave deformes multa bona uno vitio et tot meritorum gratiam una culpa corrumpas.»

1256. Massinissae haec audienti² non rubor solum suffusus, sed lacrymae etiam abortae, et, quum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset orassetque eum, ut, quantum res sineret, fidei suae temere obstrictae consuleret (promisisse enim se in nullius potestatem Sophonisbam traditurum), ex praetorio in tabernaculum suum confusus concessit.

1257. Ibi, arbitris remotis, quum crebro suspiritu aliquantum temporis consumpsisset, ingenti ad postremum edito gemitu, fidum e servis vocat, sub cuius custodia ad incerta³ fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonisbam jubet ac simul nuntiare: «Massinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse, quam vir uxori debuerit; sed quoniam arbitrium ejus Romani adimant, secundam fidem praestare, ne viva in potestatem Romanorum veniat. Memor patris imperatoris patriaeque et duorum regum, quibus nupta fuisset, sibi ipsa consuleret.»

1258. Ut nuntius cum veneno ad Sophonisbam venit: «accipio, inquit femina, nuptiale munus nec ingratum, si nihil majus vir uxori praestare potuit. Hoc tamen nuntia libentius me morituram fuisse, si non in funere meo nupsissem.» Non loquuta est ferocius, quam acceptum poculum, nullo trepidationis signo dato, impavide hausit.

1259. Quod ubi nuntiatum est Scipioni, nequid Massinissa aeger animi gravius consuleret, accitum eum extemplo nunc

¹ Vide n. 360.

² Vide n. 375, a.

³ Vide n. 35, b.

solatur, nunc, quod temeritatem temeritate alia luerit, leniter castigat. Postero die Scipio in tribunal escendit et concionem advocari jussit. Ibi Massinissam primum regem appellatum¹ eximiisque ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, sella curuli et scipione eburneo, toga picta et palmata tunica donat. Addit verbis honorem: «quum magnificentius triumpho nihil sit apud Romanos, non esse triumphantibus ornatum ampliorem eo, quo Massinissam populus Romanus dignum ducit.»

(LIV.)

T. Manlius filium suum capite plectit.

1260. Nequo² errore milites caperentur, edicunt consules, nequis extra ordinem in hostem pugnaret. Forte inter ceteros turmarum praefectos, qui exploratum³ in omnes partes dimissi erant, T. Manlius, consulis filius, super castra hostium cum suis turmalibus evasit ita, ut teli jactu ab statione proxima abesset. Ibi Tusculani erant equites; praeerat Geminus Metius, vir tum genere inter suos tum factis clarus.

1261. Is ubi Romanos equites interque eos insignem consulis filium congnoovit, unane, ait, turma Romani cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? Quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent? «aderunt in tempore, Manlius inquit; et cum illis aderit Jupiter ipse, foederum a vobis violatorum testis, qui plus potest polletque. Si ad⁴ Regillum lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque efficiemus profecto, ne nimis vobis collata nobiscum signa cordi sint.»

1262. Ad ea Geminus paululum ab suis equo provectus: «visne igitur, dum dies ista venit, qua magno conatu exercitus moveatis, interea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum⁵ jam hinc eventu cernatur, quantum eques Latinus Romano praestet?» Movet ferocem animum juvenis seu ira seu detrectandi certaminis pudor. Oblitus itaque edicti praeceptum ad certamen agitatur.

¹ Vide n. 379, a.

² Vide n. 209, a.

³ Vide n. 356, b.

⁴ Vide n. 162, b.

⁵ Vide n. 63, a.